


circumspiciens: nam talia tibi reputarentur in peccatum, ad confusionem, ad pœnam: audi historiam.

Legitur in Scala cali, quòd fuerit quidam Sacerdos devotus, qui celebratâ Missâ retrò altare vidit diabolum scribentem in pergameno longissimo. Cumque ei pergamenum deficeret, cœpit diabolus illud ampliare dentibus more sutorum, ut majorem posset recipere scripturam. Ad quem accedens Sacerdos in virtute JESU Christi ei præcipit, ut in præsentia populi diceret, quid ibi scripsisset. Respondit daemon: Hic scripsi omnia peccata populi tui, quæ hodie in ista Ecclesia commiserunt, ridendo, jocando, dormitando, circumspiciendo, &c. Et quia hæc facta in templo multum Deum offendunt, & nos Dei inimicos lætificant. Hæc Joan. Junior. (in Nucleo Catech. lect. 93.) Videtis Auditores ex ista historia, quomodo diabolus peccata hominum notat, maxime illa quæ in templis & tempore Missæ aut Concionis committuntur ab hominibus. Date ergo operam, ut in templis decenter, devotè & exemplariter deinceps vos geratis, quo gratiam Dei mereri, & cum illa in domos vestras reverti possitis.



DOM. III. POST PENTECOSTEN.

Thema: Erant appropinquantes ad Jesum publicani & peccatores, ut audirent illum, Luc. 15.

Christus D.
in peccato-
res pœni-
tentes cle-
mens.



Non mirum est, Auditores, quòd homines in angustia aut periculo constituti confugiant ad alios homines, apud quos protectionem & solatium sperant se reperturos: est enim hoc naturale. Nam si & feræ silvestres, ut legimus in historiis, ad asylum hominum quandoque confugerunt in angustia constitutæ & necessitate pressæ; ut cum Anno Dom. 475. urbs Viennensis in Gallia & tota circum vicinia motibus terræ quateretur insolitis & multis terreretur prodigiis; ita ut non homines tantum, sed & feræ silvestres; ut
servi,